

nocentia allegata probetur ; qui tamen non potest determinari , verum relinquitur cujusque loci receptis moribus , consuetudini , & statutis municipalibus . Vide l. 2. C. de exhib. reis. quamvis tamen per omnia huc non quadret .

II. *Judicis officium.* Illi enim incumbit (1) *Partes citare* ; Si enim reus se offert ad sistendum se , & ad deducendam suam causam , tum quidem Judex illi hoc denegare non debet , quin potius ad illud admittendum obstrictus est : attamen ordine quoque his procedere , & cum primis partes citare tenetur . Etenim citatio est cuiuslibet judicii principium & fundamentum , adeo , ut omnis actus judiciarius contra non citatum celebratus sit ipso jure nullus . Emeric. à Rosbach. tit. i. c. 4. num. 1. pag. 105. *Processus Criminalis.* Describitur autem *Citatio* per actum legitimum , quō quis à Magistratu vel judice competente ad partis instantiam , vel etiam ex officio ad judicium vel tribunal vocatur juris experiundi causa . Monachus. part. 3. cap. 1. num. 4. pag. 85. *Pract. Judiciar.* (2) *Citatos audire* , quid scilicet ipsi proponant , probent , & deducant , sive per testes , sive documentis literariis , sive alio modo legibus probato procedere velint , hoc judex admittere , nulla ratione vero illud ipsum ius adimere debet , etiam si quibusdam in locis iste abusus irrepserit , ut facultatem probandi judices adimant vel reo , vel accusatori , quod tamen neutquam tolerandum est . Quod enim ex autoritate juris civili ratione aequitatis , & observatione receptarum consuetudinum facere alicui concessum est , illud ei absque causa adimere nefas est . (3) *Concessio salvi conductus* , ut nimis Reo ad probandam suam innocentiam se offerenti concedatur securitas veniendi ad judicium , & recedendi ab eo . Illud enim importare videtur *salvus conductus* , ut is , cui datus est , habeat potestatem eundi ad judicium , & simul securitatem recedendi ab eo . Inde securitas promissa violatur , quando Reo , qui fiducia salvi conductus venit ad judicium , non conceditur facultas iterum ab eo discedendi . Petr. *Premus de Securitat. promiss. quest. 6.* Anton. Bullæus *Resp. 6. q. 5. n. 38. 39. p. 265.*

Cæterum *salvus conductus* est nihil aliud , quam securitas comprehendendi in judicio , & ab eodem liberè recedendi , data à judice competente illi , qui ob delictum propter metum incarcerationis ibidem comparere non vult , nec audet . Vide Philipp. ab Orthen . cap. 9. pag. 318. 319. *de Salvo Conductu.* Non tamen cuius Reo concedendus est *salvus conductus* .